

24.

EPICEDION  
BEATIS MANIBUS  
GOLTZIANIS,  
DICATUM  
à  
THEODORO CHRISTIANO PAULI, D.

---

REGIOMONTI,  
Litteris REUSNERIANIS.  
ANNO MDCCXV.

**E**Ulicet Æthereis intentus Cantibus, omne  
Humano expressum despiciis ore melos:  
TEq; Beatorum suscepsum sedibus altis  
Non humiliis nostri nunc mage cura tenet;  
Haud tamen ad tumulum, GOLTZI, reticere dolorem  
Jure meum potero, mens neque grata sinit:  
Cumq; Tuum celebrent mæstum tot Carmina funus,  
Me fuerit solum conticuisse nefas.  
Quinimo si hic obitus nulli lacrymabilis esset,  
Solus ego hæc vellem funera corde queri.  
Scilicet hoc de me meritus candore Beate es,  
Ut nunquam possim non meminisse Tui.  
Spiritus hic citius mortales deseret Artus,  
Exuviasque suo pondere terra teget:  
Nostra Tui fuerit quam Mens oblita vel unquam  
Rara Tua integritas excidet ex animo.  
Sed quibus extollam virtutes laudibus aptis,  
Queis Tua præ multis vita decora fuit?  
Quis digne memoret facundæ flumina Lingvæ,  
Ad sacrum faceres cum pia verba gregem:  
Utque Tuum solitus calamistris urere nunquam  
Sermonem, pondus sic Tua verba dabant.  
Tu Tibi commissâ multos statione per annos  
Divini fidus Pastor Ovilis eras:  
Donec ad extremum duri violentia morbi  
Non magis hoc munus sicut obire sacrum.  
Sæpe tamen Templum petiisti infirmus & æger,  
Sic etiam spartæ misus adesse Tuæ.

Quod

Quod licet ingratus digne haud agnoverit Orbis,  
Hinc tamen in cœlis præmia plura feres.  
Virtutes inter porro has non infima laus est,  
Candoris nostro tempore rarus amor:  
Et quod jucundum fuerit Tibi semper honestos  
Officiis omnes demeruisse Tuis.  
Denique quanta fuit placidæ constantia mentis,  
Quæ Tibi supremum mansit in usque diem?  
Quid Tua quod nullo patientia victa dolore,  
Firma sed in Dominum spes pietasq; stetit.  
Talem igitur raptum quis Te non defleat Orbi?  
Ante cadis meritos Vir Reverende dies.  
Te dolet amissum Lacrymis manantibus Uxor  
Fæminei sexus jure vocanda decus.  
Te Nati plangunt gemebunda voce Parentem,  
Illi quo fuerat carius orbe nihil,  
Filius ante alios absens mæstissimus omnes  
Afflito nullum corde levamen habet.  
Patris adhuc saltem mihi Lumina cara videre  
His misero terris si licuisset ait!  
Supremumque vale dictum morientis ab ore  
Excipere ac madidis oscula ferre genis.  
Sed nunc totus abis terris, nunquamque videndum  
Terapiunt oculis fata severa meis.  
Namque tenebroso jam condita membra sepulchro,  
Nota prius quam sit mors Tua facta mihi.  
Nec minus hoc obitu Frater Germanus acerbo  
Tristitiae prodit plurima signa suæ.  
Denique mæsta Soror pars conjunctissima nostri  
Non falsis lacrymis ad Tua busta gemit.

His

*His anima Extincti placidâ turbata quiete  
Visa ad mærentes hæc mihi verba loqui:  
Dogmata nos Christi prohibent lugere beatos,  
Gentiles animos ista querela decet.  
Non mihi divitiæ si dentur totius Orbis,  
Ærumnas mundi rursus adire velim.  
Nil mibi cum Mundo est ubi fœda calumniare regnat  
Ipsis innocuis suetanocere viris.  
Nunc recreant animum cœlestia gaudia nostrum,  
Hic metus excrucians, hic dolor omnis abest.  
Tuque adeo nobis carissima portio quondam  
Conjugis exemplum quæ potes esse probæ:  
Quæque Tui nunquam curæ pertæsa Mariti  
Mansisti ad summos officiosa dies:  
Pone modum lacrymis & amarum deprime luctum.  
Tunc Tibi cum vixi jure dolendus eram.  
Sed postquam morbo mibi reddita vita molesta est,  
Ipsa fuit nostri mors medicina mali.  
Rara tamen pietas mihi quam post funera præstas,  
Inter cœlestes hanc celebrabo sonos.  
At Vos ô! mæsti, dulcissima pignora, Nati,  
Vos jubeo lætos esse animoque bono.  
Sancta DEI nunquam cum nos promissio fallat,  
Præmia polliciti reddere digna piis:  
Hinc si Virtutem colitis DOMINUMQUE timetis,  
Ipse feret Vobis ut Pater alter opem.  
Desinat ergo meo vester cum funere luctus  
Hisque DEUS verbis pondus inesse sinat.*

